
IR

3880


Amici,
'Επικηδια In Obitum
Anthonii Beutheri.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3880 4° [42,-185]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3880 4° [42,-185]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3880 4° [42,-185]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3880 4° [42,-185]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3880 4° [42,-185]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3880 4° [42,-185]

D.A BOX Hj 3880 4°

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3880 4° [42,-185]

ΕΠΙΚΗΔΙΑ

IN OBITVM ORNATISSIMI IVVENIS PIETATE, ERVDItione & virtute præſtantis *ANTONII BEVTHERI* Vitebergenſis, qui cùm Kierſtrupiæ in Dania operam ſuam in inſtituendo nobili adoleſcente *IACOBO* à *ROSENKRANTZ* aliquot annos fideliter nauaſſet, ibidem placidè vita defunctus eſt, 21. Iunij, Anno 81.

Scripta ab amicis.

VVITEBERGAE,
Excudebant Hæredes Iohannis Cratonis.
ANNO M. D. LXXXI.

26

Iuueni integerrimo Claudio Brammensi Schondano in amicitiæ testificationem dono dedit Zacharias Beutherus Vitebergensis.

Accipe quodcunque est vir amabilis ille
Iudicium gratæ mentis habere p

GEORGIVS BEVTHERVS NEVENHOVIENSIS, LVGENS optimi & cariſsimi patruelis ANTONII BEVTHERI VVitebergenſis obitum.

MOrs nunc certa quidem cunctis incumbit acerba:
Verùm Chriſticolis requies eſt certa malorum.
Namq; diem aſsiduis vt ſæpe laboribus omnem
Conſumens, noctu curis releuatur amaris:
Sic tu, qui Chriſti es, Patruelis, ſanguine lotus,
A curis grauibus requieſcis morte, ſalutis
Ad vitam, Chriſti reuocandus voce canora.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3880 4° [42,-185]

IN MEMORIAM DEFVNCTI FRATRIS CARISSIMI ANTONII BEVTHERI, M. ZACHARIAS BEVTHERVS. F.

ECce Deus iuſtum mala colligit ante futura,
Nemo ſed eſt, Domini qui meditetur opus:
Molliter in Chriſti requieſcit pace, cubile
Ingreſſus, vitæ triſtia nulla videns:
Sic etiam Antoni te flore ætatis in ipſo
Ereptum, tulit ad regna beata Deus.
Ad ſua regna Deus tulit, vt ne damna videres,
Quæ mundum (fato proh minitante) manent.
Optime quis non te frater putet eſſe beatum?
Conſpectu frueris iam propiore Dei.
Aduerſi metuis nihil, haud obnoxius vllis
Curis: In Domino iam tibi parta quies.
At nos in miſero miſeri qui viuimus orbe,
Quàm ſumus innumeris obruta turba malis?
Diſſolui cupimus quoq; Chriſte, tuoq; locari
Cœleſti in regno, pax vbi ſumma viget.
Nam ceu triſte mihi nunc eſt te viuere ademto,
O frater proprijs charior his oculis:
Sic cùm nos iterum lux illa nouiſſima iunget,
Dulce mihi tecum viuere, frater, erit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3880 4° [42,-185]

PROSOPOPOEIA ANTONII BEVTHERI IN DANIA PIE defuncti.

LEucoris vſuram mihi primam lucis & artis,
Sed procul à patria Dania buſta dedit.
Hîc pueros generis claros ſplendore docebam
Noſſe Deum, Muſas noſſe, decusq́ ſequi.
Nec minus, ad dias vt eram propenſior artes,
Sæpè ſacra feci doctor in æde preces.
Huic nam militiæ me ſubiecturus & orſa
Omnia, per Lacheſin ſi licuiſſet, eram.
Non me luxuries à Chriſti abduxit amore
Improba, non aulæ lux, vel honoris amor.
Relligio curæ & cordi fuit vna: tenacem
Propoſiti gelida mors cita preßit humo.
Quid tamen obtinuit mors inuida? quando ſuperſtes
Mente, Iouæ cultor templa frequento poli.
Nec grauiter fero, quòd patria non vrbe quieſcam:
In cœlo felix & domus & patria eſt.
Quare dùm ſacri potuit mihi muneris vſum,
Mors, & natali buſta negare ſolo:
Cœleſti in patria Chriſti fauor obtulit æuum
Perpes, & in ſuperis munia ſancta, choris:
Quos inter ſacræ vim largius aſſequor artis,
Et Laudum, Chriſti numen, honore ſequor.

Hoc ne

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3880 4° [42,-185]

Hócne mori eſt? imò mors hæc iucundior æuo
Terrigenûm, quantò ſuauior æthra ſolo eſt.

Georgius Tilenus Aurimont. f.

ALIVD.

SCilicet hac mundo prognatus lege caduco
Eſt homo, vagitu multo vix edito vt orbi
Spicula crudeli volitantia Mortis ab arcu
Non liceat fugiſſe, nec apto fortia contrà
Arma mouere loco, placidisúe auertere dictis.
Ipſe etenim fati ſeruus, quæ parcere neſcit
Parcarum ſoboles, pomi furibundus ab horto
Sublati vindex, quatiens per mœnia & vrbes
Lethiferum manibus ferrum, volitare cruento
Fertur equo, & rapido ſimul obuia ſternere letho.
Infantes caræ ſic matris ab vbere raptos,
Qui nec voce Deum, nec quenquam lædere factis
Auſi (ni teneraraſiſſe vel vngue parentis
Hirſutam barbam, ſine ſenſu & fingere vocem
Sit tam grande nefas, crudeli & morte piandum)
Languentes aufert, & funere mergit acerbo:
Haud ſecus æſtiuo cùm Sirius auctus ab igne
Naſcentes campo flores folijſq́ ſuperbos
Feruenti ſuperat flamma, teneraſq́ medullas
Igne vorat, caulemq́ breuem ſine viribus ardet,
Impatiensq́ cadit validi ſtirps parua caloris.
Nec puer & geminos vultu facieq́ parentes
Qui pingit, luſuq́ mouet curſuq́ cachinnos,
Tutus abit medio, ſed dùm noua fingit in aula

Gaudia, langueſcens dilectûm ante ora parentum
Concidit, & caram fundit ſine ſanguine vitam.
En quæ vere nouo laſciua puella per aruum
Purpuream violam & pallentia lilia campi
Carpit, odoriferis flores immiſcet & herbis,
Morte cadit rapida, & medio vt ſub pollice cernit
Marceſcant violæ, vires ſpargatq; per auras:
Ipſa manus fruſtra & digitos ſine viribus audet
Mouiſſe, & vitam ſub floribus halat in auram.
At iam digna viro, plenis & nubilis annis,
Blanditias iuueni dùm fingit virgo labellis,
Brachiaq; armigero dûm miſcet eburnea collo,
Et narrare cupit mordaces pectoris æſtus,
Et narraſſe cupit iam contra pectoris æſtus
Verbula, quæ lepido refluunt ex ore, vel inter
Verba cadit, medijs vel iam moritura ſub vlnis
Lethifer vt quatiat ſentit ſua corpora morbus.
Nec Iuuenis, Martis ſpolijs indutus & armis,
Nec vir dilecti latitans ſub coniugis vlnis,
Nec qui feſſa iuuat ſenior iam membra bacillo
Effugiſſe poteſt: ſimiliq; caduntq; ruuntq;
Lege, ſenex, iuuenis, vir, amica, puella, puerq;,
Et tener huic mundo qui vix fuit editus infans.
Nec genus, aut proaui, nec quæ nos fecimus ipſi,
Nec doctis veniens Muſis comitatus Apollo
Tutari contra poſſunt: Sed mortis acerbum
Ius ſi quando vocat, ius hoc audiſſe neceſſe eſt,
Viuere dumq; licet quaſi PERMVTATIO vita eſt.
Hoc tibi ſurrepti fatis BEVTHERE parentes

(Aut

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3880 4° [42,-185]

(*Aut quicunq; Deus generi generiſq; nepoti*
Hoc tribuit, primóſue viros hac voce notauit)
Nomine MVTANTIS (*ſic vox germana ſonabit*)
Ceu ſpeculo pinxêre leui, fluuióq; coruſco
Illatas oculis qui reddit ſole figuras.
Si qua tamen varias cepit dubitatio mentes,
Nomen habere tuum certum probat exitus omen.
Nam primùm vt licuit Romana dicere lingua
Quicquid Graiorum ſinuoſa volumina condunt,
Auſoniumq; ſtylum verbis miſcere Pelaſgis,
Et quæ præterea docuit crinitus Apollo:
Leucoris Aoniæ decus immortale cohortis
Dùm ſacra dicentem populo miratur alumnum,
Sors MVTARE *locum patrijſq; excedere tectis*
Te iubet, & recto deducit tramite ad agros
Danorum à noſtris auulſos flumine campis.
Nomen habere tuum, certum probat exitus omen.
Quæ iuſsit MVTARE *locum,* MVTARE *priorem*
Te iubet & vitam ſors, & noua gaudia monſtrat
Iucundi thalami, thalamo ſeroſq; nepotes
(*Sed fruſtra*) *promittit, opeſq; nepotibus addit,*
Inq; nouum ſponſum iuuenem COMMVTAT *amantem.*
Nomen habere tuum certum probat exitus omen,
Dum veneris thalamo ſpondet ſors inuida tœdas,
Phœbeaſq; faces & gaudia multa notantes
Funereas tumulo fumantes ſulphure tœdas
Ponit tœdarum ſolitum MVTATq; *colorem.*
Nomen habere tuum, certum probat exitus omen,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3880 4° [42,-185]

Quam ſors MVTAVIT *variè ſine crimine vitam*
Mors rapit extremam vitamq́ in funera MVTAT.
Nomen habere tuum certum probat exitus omen,
In funus vitam dum Mors MVTAVIT *acerbum.*
Mars venit (hunc Martem liceat dixiſſe, ferocem
Ipſe etenim mortem victrici vicit & haſta)
MVTATVMq́ *ſemel funus (mirabile dictu)*
In vitam MVTAT, *manet* IMMVTABILIS *& nunc*
A Marte extremo MVTATA *è funera vita.*

Iacobus Zuckvvolffius ſecundus
Heylbronnenſis.

ALIVD.

SIc ne decet, Muſæ, Beutheri pangere tædas,
Sic thalamos ornare nouos, atramq́ cupreſſum
Spargere pro uiolis, aut oblectamine nardi?
Ah properata nimis iucundi temporis ætas,
Quæ poterat ſtudijs lenimen ferre peractis,
Cum tua legitimum ſcandiſſet ſponſa cubile,
Baſia mille ferens, nec primæ paſſa iuuentæ
Abſumi florem, et curis mordacibus vri.
Sed ſic fata iubent, & fatis additus ordo,
Vt tellure ſati, cum mors breue finiet æuum,
In veterem ſoluant iterum ſua membra parentem.
Hæc te ſors tetigit Beuthere, & tanget eoſdem
Sors eadem, tecum qui ſunt de matre creati.
Cumq́ tibi mors certa fuit, ſed funeris hora
Incerta, & nobis fatum ſemel ire per umbras
Imponat, meritò ſortem ploramus acerbam,

Quam

Quam Paradiſiacis inuexerat anguis in hortis,
Cum vetitos auderet Adam decerpere fructus.
Ille dies mortis primus, ſuprema poteſtas
Hinc orta, & tantas accepit lurida vires.
Inde ſenes, & cum ſenibus puerosq́ virosq́
Dira necat, ſponſumq́ optato coniugis orbat
Amplexu: nihil eſt toto quod cernitur orbe
Siue maris tractu, poterit quod mortis acerbum
Effugere imperium, & validis tutarier armis
Seq́ ſuosq́, aut diuitijs, vel acumine mentis.
Et quamuis ſupereſſe datur, vitaq́ potiri,
Mille modis homines morborum milleſequuntur
Tabificorum onera, & numerus vix maior arenæ
Eſt Lybici maris, aut quotquot folia ira furentis,
Autumno veniente, nothi vi concutit oris.
Iuſta doloris erat ratio pro munere adempto:
Iuſtiorilla tamen, quæ vitæ gaudia donat
Aeternæ, reficit vires & corda quiete,
Nam licet haud vlli fas eſt ſe exoluere letho,
Aut metam tranſire datam, qua tendimus omnes,
Sed morimur quotquot vitiatas ducimus auras:
Non tamen in nihilum prorſus per vulnera mortis
Soluimur, aut animæ cum vita amittimus ipſa
Vſuram, ſed parte anima meliore vigemus:
Corpus humo tegitur, præbetq́ immitibus eſcam
Iucundam colubris, tanta eſt præſtantia noſtri
Corporis, ætherea vt cœli ſeiungitur aura.
Hæc penetrat cœlos, & Chriſti munere viuit

Viuit

Viuit, & haud vllos ſentit moritura dolores.
Hæc etiam Beuthere quies te cepit, & vni
Aſsiſtis Chriſto, & vera cum gente piorum
Lætitia frueris, perituráq; gaudia mundi
Atq; odio inſequeris riſu, lætoq; cachinno.
Hanc petimus requiem, donec venturus in aſtra
Præmia det Chriſtus iuſtis, Erebumq; malignis.

Valentinus Trebatius.

ALIVD.

Dum ſacra primæuus genitor mandata reſcindit,
Inductus aſtu Dæmonis:
Commeruit mortis pœnam, quam, quotquot in orbe
Sumus, tenemur pendere.
Terrigenas populos crimen ceu fertur ad omnes:
Sic pœna delictum ſequens.
Corporis hinc ardor, pariterq; Epidemica peſtis,
Et multa morbi ſemina:
Queîs mors dira uenit, rapiens iuuenesq; ſenesq;,
Dignas & æuo fœminas.
At non æquali pereunt ratione fideles,
Cadit cohors vt impia,
Gens Iudæa iugo Pharaonis preſſa nefandi,
Cedit ſolo Memphitico:
Poſt rigidus ſequitur celeri pede terga Tyrannus,
Lectiſsimo cum milite.
Vtq; ingreſſa fuit pontum gens vtraq;, ſiccis
Pedibus rubens calcat vadum.

Tranſijt

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3880 4° [42,-185]

Tranſijt Amramides tunc per freta ſtantia tutus,
Mentes puſillas erigens.
Nempe ſuis præſtat de cœlis ipſe ſalutem
Natus Dei ter maximus
Hic moderatur iter, populi dum nube ſacrati
Micante terga contegit.
Agmina ſed pereunt triſti Mareotica letho,
Regemq; pontus obruit:
Sic quoq; mortis iter, vita rebusq; peractis,
Adire cuncti cogimur.
Sola ſed ad nigras Acherontis mittitur vndas
Cohors profana & impia.
Infelix vbi perpetuis datur ignibus Orci,
Pœnas luens triſtiſſimas.
Cætera gens, vni didicit quæ fidere CHRISTO,
Cœli ſubit palatia.
Et licet hic vario ducat diſcrimine vitam,
Fati pericla perferens:
His tamen ærumnis deuicto Dæmone, morte,
Chriſtus fideles eripit.
Hic facit in medio credentes viuere letho,
Infirma corda roborans.
Ducit hic ad requiem, gremioq; recondit Abrahæ
Vitæ ſolutæ ſpiritum.
Intereà tumulo data molliter oſſa quieſcunt,
Ad vſq; mundi terminum
Tunc iterum Chriſtus buſtis exire iubebit,
Humus tegit quæ corpora.

Et ſua

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3880 4° [42,-185]

Et ſua ſaluatos in regna locabit, vt omni
Deum celebrent tempore.
Hoc duce BEVTHERVS, *patrÿs vt ceſsit ab oris,*
Sulcauit æquor Balticum.
Hoc duce cœleſtem, morbo conſumtus acuto,
Conceſsit hinc in patriam.
Cui placuit mores hominum luſtrare per vrbes:
Regnum videre Cimbricum:
Is, quia ſe Chriſto precibusq́ fideq́ dicauit,
Regnum tenet iam cœlicum.

Philippus Gallus Halenſis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3880 4° [42,-185]

3880

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3880 4° [42,-185]